

eiulatu maxio flebat et vsq; ad ce-  
lū lamētabiles voces dabat. **A**c p-  
litorā clamās ⁊ eiulās discurrebat  
si forte filij corp⁹ a mari litorib⁹ eie-  
ctū videret. **S**z cū in ea spes ois de-  
ficeret ad domū redijt et totū illuz  
annū in fletu ⁊ merore duxit. **P**ost  
annū igitur aptō mari omnes an-  
ticipās ad locū scita venit. si forte  
de filio aliqđ vestigiū inuenire pos-  
set. **C**ū ergo añ tumulū sancti elemē-  
tis se in orōe dedisset. surgēs vidit  
infantē in loco in quo eū rliquerat  
dormientē. **E**stimās at eū esse defū  
ctū accessit ppius q̄i corp⁹ collectu-  
ra exanime. **S**z cū eū dormiētē agno-  
uisset excitatū velociter expectātib⁹  
populis incolumē in vlnis leuauit  
et vbinā p illū annū fuerit req̄siuit  
**I**lle aut se nescire r̄ndit si ann⁹ inte-  
ger p̄terierat. sed tm̄ vnius noctis  
spacio se suauit̄ dormisse putabat.  
**A**mbro. in p̄fac. sic ait **C**ū iniquis-  
sim⁹ p̄secutor beatū clementē penis  
affligere a dyabolo cogere. nō ei  
tormentū intulit sed triumphū. **J**ac-  
tat̄ ergo martir in fluctib⁹ vt iuge-  
ret. et ex hoc puenit ad p̄miū. **U**n̄  
petr⁹ mgr̄ ei⁹ puenit ad celū. **A**mbro-  
rū ergo in fluctib⁹ xp̄s approbans  
mentes clementez ad palmā victo-  
rie de p̄fūdo reuocat. petrū ad ce-  
lestia regna i eodē elemēto ne mer-  
gere. eleuat. **R**efert **L**eo hostien-  
sis eps q̄ tpe quo michael impera-  
tor noue rome regebat imperiū. sa-  
cerdos qđ az noie p̄hs cū tersonā  
puemisset et de his que narrant̄ in  
h̄storia clemētis habitatoēs inter-  
rogasset. qz aduene poti⁹ q̄ indige

ne erant se nescire p̄fessi sunt. siqui-  
dē miraculū maris recessus ob cul-  
pā inhabitantiū iaz diu cessauerat  
et ob incursum barbaroz templū de-  
structū fuerat ⁊ archa cū corpe ma-  
rinis fluctib⁹ obzuta. **S**up quo mi-  
rat⁹ p̄hs et accedēs ad ciuitatun-  
culā noie georgiā cū epo ⁊ clero ⁊  
p̄plo accessit ad q̄rendū sacras reli-  
q̄as ad insulā in qua estimabāt eē  
corp⁹ martiris vbi cū ymnis et ora-  
tionib⁹ fodiētes dina reuelatiōe in-  
uenerūt corp⁹ et anchoraz cū qua  
fuerat in mare p̄iectū ⁊ deportaue-  
rūt tersonā. **D**einde p̄dict⁹ p̄hs cū  
corpe sancti clemētis romā adijt et  
multis ostensis miraculis in ecclā q̄  
nūc d̄r sancti clementis honozifice  
corp⁹ collocatū fuit. **I**n cronica aut̄  
legit̄ q̄ mari ab illo loco exsiccato  
a beato cyrillo mozanoruz ep̄o ro-  
mam translātū est.

#### De sancto Crisogono

**C**risogonus iussu dyocleti-  
ani in carcerem recluditur  
vbi sancte anastasiē alimo-  
nijs fouebatur. **C**um ergo anastasi-  
am vir ei⁹ in artissima custodia po-  
suisset. **C**risogono qui eā erudierat  
talīa scripta dixerit. **S**ancto p̄fesso-  
ri christi. **C**risogono anastasia sacri  
legi iugū mariti suscepi. cuius deo  
miserante thozum mentita infirmi-  
tate declinās. die noctuq; domini  
nostri ihesu christi amplector vesti-  
gia. **C**um iste patrimonium meum  
ex quo illustratur cū indignatione  
ac turpibus ydolatriis exhauriat



me q̄z velut magā atz sacrilegā cu  
stodie tā grauissime mancipauit vt  
me vitaz t̄palem amittere suspicer.  
nihil enī supest nisi vt amisso spiritu  
morti succumbaz. **I**n qua morte lz  
glorier. t̄n̄ mea mēs multū conteriē  
quia opes mee quas deo deuoue/  
ram a turpib⁹ osumunt. **V**ale vir  
dei ⁊ memēto mei **C**ui crisogonus  
sic respōdit. **V**ide ne turberis in h  
q̄ pie viuenti tibi inferant aduersa  
**N**on enī deciperis sed p̄baris **C**i  
to ad te placitū t̄ps cōuertet ⁊ q̄si  
post noctis tenebras floridū dei lu  
men aspicias atqz post glaciei frig⁹  
aurea tibi t̄pa et serena succedent.  
**V**ale in d̄no et ora p̄ me **D**eniqz  
cuz beata anastasia sic in custodia  
artaret et vix ei panis q̄orans da  
ret estimans se moriturā sancto cri  
sogono epistolam in hec verba scri  
psit **C**onfessozi xp̄i crisogono ana/  
stasia **F**inis venit corporis **M**emē  
to mei vt egredientē meam animā  
ip̄e suscipiat pro cui⁹ amore ista su  
stineo que ex ore hui⁹ vetule recog  
noueris **C**ui ille rescripsit **T**emper  
est vt lumen tenebre antecedat **S**ic  
etiā post infirmitatē salus reuertet  
et vita post mortem p̄mittit **I**no  
fine ocludunt et aduersa hui⁹ min  
di et p̄sp̄era. ne vel tristib⁹ despera  
tio vel letis elatio dominet **I**nuz  
mare est in quo nauicule corporis  
nostri velificat et sub vno corporis  
gubernatore anime nostre nautico  
fungunt officio **Q**uorundā igit na  
ues fortissimis carinaz nexib⁹ soli  
date crebros equozis ocitatos flu  
tus ille se pretereūt **Q**uorundā ve

ro fragilis iunctura lignozum et in  
tranquillo vicinū morti conficiunt  
ocursum **T**u aut o xp̄i famula cru  
cis tropheū tota mente ostringe ⁊  
te ip̄am prepara ad opus dei **I**gi  
tur dyocletian⁹ aquilie partib⁹ po  
situs ceteros xp̄ianos occidens s̄a  
ctū crisogonū sibi p̄ntari iussit **C**ui  
cū diceret **A**ccipe potestatē p̄fēdu  
re tue ⁊ osulatū generis tui ⁊ sacri  
fica d̄is **R**espōdit crisogon⁹ vnū  
deū in celo adoro et dignitates tu  
as quasi lutū otemno **D**ata ergo  
sup eū sententia ad quendā locum  
ducit et ibidem p̄in⁹ decollat **C**ui  
ius corpus sand⁹ zeylus presbiter  
sepeliuit.

**D**e nomine

**R**atherina dicit a catha q̄d  
est vniuersuz et ruina **O**m̄e  
enī edificium dyaboli in ea  
vniuersallter corruit **N**az in ea ruit  
edificiū superbie p̄ humilitatē quā  
in se habuit **C**arnalis ocupiscentie  
p̄ virginitatē quā seruauit **C**upidi  
tatis mundane qz omnia mūdāna  
desperit. **V**el **K**atherina quasi ca  
thenula **I**p̄a enī sibi p̄ bona opera  
quandā cathenā fecit p̄ quaz vsqz  
ad celum ascendit **Q**ue quidem ca  
thena siue scala quatuor grad⁹ ha  
bet qui sunt innocēcia operis. mun  
dicia cordis. despectō vanitatis. lo  
cutio veritatis. **Q**uos p̄phēta per  
ordinē ponit **Q**uis ascendet in mō  
tē d̄ni aut quis stabit in loco s̄actn  
ei⁹ **I**nnocēs manib⁹ et mūdō corde  
q̄ nō acce. in va. a. f. nec iu. in do. it.  
**Q**ualit̄ ista. n̄ in beata **K**atherina  
fuerūt patz et legenda sua

**D**e sancta **K**atherina



**R**atherina Costi regis filia  
oim liberaliū artiu studijs  
erudita fuit Cū autē maren  
tius impator omnes tā diuites q̄  
pauperes ad alexandriā duocassz  
vt ydolis immolarent et xpianos  
imolare nolentes puniret. **R**atheri  
na cū esset ānoz. xvij. et in palacio  
diuicijs ⁊ pueris pleno sola reman  
sisset. audiēs aialium diuersozū mu  
gitus et cantantiū plausus. misso il  
luc nuncio inquiri fecit celeriter q̄d  
hoc essz. **Q**uod cū didicisset: assu  
ptis aliquib⁹ de palacio signo cru  
cis se muniēs illuc accessit. ibiqz ml  
tos xpianos metu mortis ad sacri  
ficia duci cōspexit. **Q**ue vehementi  
doloze cordis sauciata ad impato  
rē se audacter ingessit et sic ait. **S**a  
lutationē tibi pferre ⁊ ordinis dig  
nitas et rōnis via monebat. si crea  
tozem celi agnosceres et a dijs ani  
mū reuocares. **S**tansqz añ ianuaz  
templi p varias occlusiones filogij  
moz allegorice et methafozice. di  
serte et mistice mltā cū cesare dispu  
tabat. **D**einde rediens ad omune  
colloquiū dixit. **I**hec tibi tanqz sapi  
enti pferre curauī. **N**ūc autē quare  
incassū ogregasti hāc multitudinē  
ad colendā stulticiā ydoloꝝ? **M**ira  
ris hoc templū manu artificū opa  
tū? **M**iraris ornamenta p̄ciosa que  
velut puluis añ venti erūt faciem?  
**M**irare potius celū et terraz mare  
et omnia que in eis sunt. **M**irare oz  
namenta celoꝝ solē videdicꝝ lunā  
et stellas. **M**irare famulatū eoz q̄li  
ter a mūdi inicio vsqz ad finem ho  
die currūt ad occidentē et redeunt

ad orientem et nunqz fatigant. **E**t  
tuz hec animaduertes interroga  
et disce quis sit eozum creator. **C**ū  
autē ipm ipō donante intellexeris.  
nec simile illi inuenire valueris. ipm  
adoza ipm glorifica. **I**pe enī est de  
us deoz: et domin⁹ dominantium.  
**C**ūqz de filij incarnatione sapiēter  
plurima disputasset: stupefactus ce  
sar non valuit ad hoc respondere.  
**T**andez ad se reuersus dixit ad eā.  
**S**ine o mulier. sine nos finire sacri  
ficiū et post hoc tibi responsa red  
demus. **P**recepit ergo eā ad pa  
ciū duci et cum omni diligencia cu  
stodiri: admirans nimiaz eius pru  
dentiam ⁊ corporis pulcritudinez.  
**E**rat enī speciosa valde et incredi  
bili pulcritudine omniū oculis āmi  
rabilis videbat. **V**eniens igitur ce  
sar ad palaciū dixit. **R**atherine. au  
diuim⁹ tuā eloquentiā et mirati su  
mus tuam prudentiā. **S**z in deozū  
sacrificijs occupati: omnia plene in  
telligere nequiuim⁹. **N**ūc autē ab ini  
cio pgeniē tuā requirim⁹. **E**t sancta  
**R**atherina ad hec respondit dicēs:  
scriptū est. **N**ec te collaudes nec tē. **H**oc faciunt stulti quos gloria ve  
rat inanis. **C**onfiteor tamen meaz  
pgeniem non timore iactancie sed  
humilitatis amore. **E**go enī sū. **R**a  
therina Costi regis filia. **Q**ue quā  
uis in purpura nata et liberalibus  
disciplinis nō mediocrit̄ instructa.  
**H**ec tñ oia cōtēpsi et ad dñm. **I**he  
sum confugi. **D**ij autez quos colis  
nec te nec alios iuuare possunt. **D**  
igitur infelices talium numinuz cul  
tores: quibus aduocata in necessi

te nil poteris in  
me et alio  
ueris ipse



rate si assūt. i ebullatiōe si succurrit: i  
piculū si defēdūt **C**ui rex **S**i ita ē vt  
asser. g. tot' mūd' ērat 7 tu sola ve  
rū dicis! **C**ū tñ omē verbū nō ofir  
meū nisi in ore duoz vel triū **S**i an  
gel' eēs si celica virt' tibi adēet ad/  
huc tibi credē nemo deberet. qnto  
min' cū femina fragilis esse pbaris  
**C**ui illa **N**e obsecro cesar a furore  
te vinci pmittas **I**n sapiētis aimo  
nō stet turbatio dira **S**ic nāq; poe  
ta ait **C**u si animo rexeris rex es. si  
corpe seru' **E**t rex **U**t video pesti/  
fera calliditate nos illaqueare dis/  
ponis **D**ū p exēpla p̄hoz p̄monez  
p̄trahē niteris **I**ndēs aut cesar q  
ei' sapiētie obuiare nō posset man/  
dauit occulte p lras vt omēs grā/  
matici et rethores ad p̄toziū alexā  
ozie festināter veniret imensa mune  
ra recepturi: si ofcionatrice h̄ginez  
suis assertionib' superēt **A**dducti  
igūt sūt de diuersis puincis. 2. ora  
tores q omēs mortales in omni mū  
dana sapiētia excellebāt **Q**uib' inē  
rogātib' cur de tā remōtis p̄ribus  
euocati fuissent r̄ndit cesar **E**st apō  
nos puella sensu et prudētia inopa  
bilis. q omēs sapiētes ofutat et de  
os n̄ros demōes esse affirmat. qm  
si supaueritis. cum honore magno  
ad p̄pria redibitis **A**d hoc vn' in/  
dignat' stomachāti voce r̄ndit. **O**  
magnum impatoris ofiliū q ob vni'  
puelle ofiliū sapientes mudi de re  
motis p̄rib' aduocauit. cuz vn' ex  
n̄ris clientulis eā poterat leuissime  
ofutare **E**t rex **P**otētiāz quidē ha  
beo vi ad sacrificanduz ofellere s̄  
melius iudicauit vt a v̄ris argumē

tis penit' ofutetur **C**ui illi dixerūt  
**A**dducat corā nobis puellayt sua  
temeritate ouicta. nūq; se sapiētes  
vidisse agnoscat **S**z cū h̄go certa  
mē qd sibi iminebat didicisset totā  
se dño ofmēdauit **E**t ecce angelus  
dñi astirit 7 vt oftāter staret amo/  
nuit. asserens q nō solū ab illis vin  
ci nō poterat. sed insup illa ipos cō  
uersos ad palmar martirij destina  
bit **C**ū ergo corā oratorib' addu/  
cta fuisset dixit impa **Q**uali iu/  
dicio ofra vnā puellā qnquaginta  
oratores apponis quos et p victo  
ria remunerandos pmittis et me  
sine spe mercedis pugnare ofellis  
**E**rit tñ michi merces dñs ihs x̄ps  
qui est spes et corona p se certan/  
tū **U**ez cū oratores deū fieri ho/  
minē aut pati impossibile dicrent.  
virgo et hoc a gētilib' ofiditū esse  
ostendit **N**az plato astruit deū cir  
cū rotundū et detrūcanduz **S**ibil/  
la qz sic ait **I**felix ille de' qui ligno  
pepēdit ab alto. **C**ū igūt virgo cū  
oratorib' sapientissime disputaret  
et deos apertis rationib' ofutaret  
obstupefacti illi et qd dicerēt nō in  
uenientes muti penitus sunt effecti  
**T**ūc impator nimio ofra eos furo  
re repletus increpare eos cepit cur  
ab vna puella tā turpiter se vinci p  
mitterēt **T**ūc vn' magister aliozuz  
sic ait **N**oueris impator q nullus  
vnq; ante nos stare potuit qn cōti  
nuo vincere **I**sta at puella in qua  
spūs dei loquitur sic nos ouertit vt  
ofra x̄pm aliquid dicē aut oino ne  
scim' aut penit' formidem' **I**n im  
pator oftāter fatemur q nisi pba'

impraginta



biliorē sniaz de his q̄s vsq; modo  
coluim? ptuleris ecce oēs ad xpm  
uertimur **A**udiēs hoc tyrann? ni  
mio furore succensus. omnes in me  
dio ciuitatis cremari iussit **A**t x̄go  
ip̄os confortans. ad martiriū stan  
tes effecit et de fide diligēter instru  
xit **E**t cū dolerent q̄ sine baptisma  
te discederent virgo respondit **N**e  
timeatis. qz effusio vestri sāguinis  
vobis baptism? reputabit et coro  
na **C**ū ergo signo crucis muniti fu  
issent et flāmis fuisset inieci. ita ani  
mas dño reddiderunt vt nec capil  
li nec vestimenta eoz ab igne in ali  
quo lederent **C**ū aut a xpianis fu  
isset sepulti tyrā? virginī loquit̄ di  
cens. **V**irgo generosa iuuentuti  
tuē conule et post reginaz in pala  
cio meo secunda vocaberis et ima  
gine tua in medio ciuitatis fabrica  
ta. a cunctis velut dea adoraberis  
**C**ui virgo **D**efine talia dicere que  
scelus sūt etiam cogitare. **E**go me  
sponsaz xpi tradidi. ille gloria mea  
ille amor meus. ille dulcedo et dile  
ctio mea **A**b eius amore nec blan  
dimenta nec tormēta poterunt me  
reuocare **T**ūc ille furore replet? ius  
sit eam scorpionib? cedi et cesam in  
obscurū carcerē trudi **I**biq; dieb?  
xij. fame cruciari **R**ege aut p̄ q̄bus  
dam causis instantib? extra regio  
nis cōfinia pcedente regina sancte  
katherine nimio amore succēsa cū  
p̄ncipe militū nomie porphirio me  
dia nocte ad carcerē virginis ppe  
rauit **Q**uo cū regia itrouissz vidit  
carcerē inestimabili claritate fulgē  
tem et angelos plagas virginis p

ungentes **I**ncipiēs qz virgo cēna  
eis gaudia pdicauit et ad fidē con  
uertens martiriū coronā eidē predi  
xit **E**icq; vsq; ad mediaz noctē ser  
monē p̄traxerūt **Q**ue cū omnia por  
phirius audiussset ad pedes virgi  
nis p̄cidit. et cū ducētis militib? fi  
dem recepit **Q**uia vero p̄ duodeci  
dies sine cibo tyrann? eaz esse iusse  
rat. xps per hos dies missa de celo  
candida colūba celesti eam cibo re  
fouebat **D**einde dñs cū multitudi  
ne angeloz et virginū eidem appa  
ruit dicens **A**gnosce filia creatorē  
tuum. p̄ cuius nomine laboriosum  
subisti conflictū **C**onstans esto q̄a  
tecū sum **R**ediens igit̄ impator eā  
sibi p̄ntari iussit **E**t vidēs eā splēdi  
diorē quā tanto ieiunio estimabat  
afflictaz putauit q̄ aliq̄s eā in car  
cere sustentasset et furore replet? cu  
stodes torq̄ri cepit **I**lla dō ait ego  
cibū ab hoīe nō accepi sed xps me  
p̄ suū angelū enutriuit **C**ui impera  
tor **R**ecōde oro qd̄ moneo i corde  
tuo et noli dubijs respondere s̄mo  
nib? **I**n dō te q̄i famulā possidē cupi  
m? **R**egina potēs et electa decoze  
in regno meo triūphabis **C**ui x̄go  
**A**ttēde et tu obsecro et iudicij exa  
mie veridica sanxione decerne quē  
magis eligē debeo. aut potētē glo  
riosū et decoz vel infirmū mortalē  
ignobilē et deformē **T**ūc impator  
indignat? ait. **E**duob? vnū tibi eli  
ge. aut sacrificia dñs et viuas aut  
exq̄sita tormēta subi vt peas **E**t illa  
q̄cūq; tormēta potēs cogitaē ne dif  
fēas qz carnē 7 sāguinē xpo offere  
desidēo sic ip̄e p̄ me seipm obtulit.



**I**pse enim deus meus. amator meus  
pastor et sponsus vnice meus **T**unc  
quidam pfectus furienti regi iussit vt  
infra triduum quatuor rotas ferris  
ferreis et clavis acutissimis circum  
septas prepararet. vt tam terribile  
tormentum virginem dissecaret et ce  
teros christianos tam dure mortis ex  
emplum terreret **O**rdinatum quod est vt  
due vno ordine voluerent et due  
alie e contrario impetu agerent vt il  
le deorsum lacerando straheret ille  
repugnantes sursum deuorando im  
pellerent **T**unc virgo beata domi  
num exorauit vt ad laudem sui nomi  
nis ouersione populi circumstantis  
ipsam machinam dissiparet **E**t ecce  
angelus domini cum tanto impetu diuel  
lendo percussit quod quatuor milia gen  
tilium interemit **R**egina autem que desu  
per hoc aspiciebat. et usque tunc se ce  
lauerat. statim descendens impatorem  
de tanta seueritate durius increpauit  
**R**ex autem furore repletus cum regina sa  
crificare contemneret. iussit eam extra  
citis prius mamillis decollari **Q**ue  
cum ad martirium duceretur **K**atherina  
rogauit vt pro se dominum precaretur **Q**ue  
respondit **N**e timeas a deo dilecta  
regina. quia tibi hodie pro transitorio  
regno commutabitur eternum et pro mor  
tali sponso tibi immortalem adqui  
res **T**unc illa ostans effecta. torto  
res hortabatur ne quod iussi fuerat  
facere morarentur **M**inistri igitur extra  
ciuitatem eam ducentes ferreis hasti  
libus mamillas eius euellunt et post  
modum caput precipit **C**uius corpus  
porphirius rapiens sepeliuit **S**equenti  
die cum de corpore regie questio fi

eret ac multos ex hoc ad supplicium  
protrahi tyrannus iuberet porphiri  
us prorupens in medium exclama  
uit **E**go sum qui christi famulatus se  
peliui et fidem christi recepi **T**unc ma  
tentius amens effectus. rugitum ter  
ribilem emittens exclamauit **M**i  
serum et miserandum **E**cce porphi  
rius qui erat vnice anime mee cu  
stos et totius laboris solatium de  
ceptus est. **Q**uod cum suis similiti  
tibus referret. illi responderunt **E**t  
nos christiani sumus et mortem subire  
parati sumus **T**unc cesar furore ebra  
us. precepit omnes cum porphirio  
decollari et corpora eorum canibus  
dimitti **D**einde beatam **K**atherinam  
aduocans ait **Q**uamuis reginam  
arte magica mori feceris si tamen  
resilieris prima in palatio meo eris  
hodie aut diis sacrificia offer. aut  
caput tuum amittes. **C**ui illa **I**fac quod  
cumque animo concepisti **P**arataque  
namque me videbis ad omnia sustine  
da. **D**ata igitur super eam senten  
tia decollari iubetur. **Q**ue cum ad  
passionis sue locum deducta fuisset  
erectis in celum oculis orauit dicens  
**S**pes et salus credentium. **O** de  
cus et gloria virginum ihesu christe.  
rex bone obsecro te vt quicumque pas  
sionis mee memoriam egerit seu in  
exitu anime vel in quacumque necessita  
te me inuocauerit tue propitiationis  
consequatur effectum **I**factaque est ad eam  
vox dicens **V**eni dilecta mea specio  
sa mea **E**cce tibi celi ianua est aperta  
**N**am et his qui passionem tuam celebra  
uerint. optata preordia promitto de ce  
lis **D**enique cum decollata fuisset de



eius corpore pro sanguine lac emanavit Angeli autē corp⁹ eius accipientes ab illo loco ad montē synay itinere dieꝝ viginti deduxerunt et ibi honorifice sepelierūt **E**x cui⁹ ossibus indefinenter emanat oleū qđ cunctoz debiliū mēbra sanat **P**assa est autē circa ānos dñi. ccc. **Q**ualiter autē maxenti⁹ p hoc scelere et alijs que omisit punit⁹ fuerit in hystoria de inuētionē crucis habetur

**N**otandū qđ beata **K**atherina ammirabilis apparet in qñqꝫ. **P**rimo in sapientia. **S**ecundo in eloquētia **T**ertio in cōstantia **Q**uarto in mundicia castitatis **Q**uinto in pui legio dignitatis **P**rimo ergo ammirabilis apparet in sapientia **I**n ipsa enī fuit omnis species p̄hie **P**hilosophia enī diuidit̄ in theozicam. practicā. et logycāz **T**heozica diuidit̄ in tres. scz in intellectualem naturalem et mathematicāz **H**abuit enī beata **K**atherina sapientiaz in intellectualem in cōgnitione diuinorū qua maxime vsa est in disputatōne cōtra rethozes quibus vnū solū deū verū esse probauit. ⁊ deos oēs falsos esse diuicit **S**ecundo habuit naturalez in cōgnitione omniū inferiorūz qua maxime vsa est in disputatione contra imperatorem sicut patet ibidez **T**ertio habuit mathematicam in contemptu terrenorūz **H**ec enī scientia s̄m **B**oetium speculatur formas sine materia. hanc beata **K**atherina habuit quando animū suū ab omni materiali amore abstraxit **H**anc enī se habē ostēdit cū impatoꝝi interroganti respō

dit **E**go enī sum **K**atherina **C**osti regis filia. que quāuis in purpura nata ē **H**ac maxime vsa est cum regina quā ad cōtemptū mundi et de spectum sui et desiderii celestis regni animauit. **P**ractica autē diuidit̄ in tres. in ethicā. yconomicāz ⁊ politicā. **P**rima docet mores infor mare. et se virtutibus exornare ⁊ p̄tinet ad omnes **S**ecunda docet familiāz bene cōponere ⁊ pertinet ad patresfamilias **T**ertia docet vrbes et populos et rempublicāz bene regere et pertinet ad rectozes vrbiū. **H**anc etiam triplicem scientiaz beata **K**atherina habuit **P**rimā enī habuit cum se omni morum honestate composuit **S**ecundāz cum familiam suāz que sibi magna relicta fuit laudabiliter rexit. **T**ertiam cū imperatoꝝez sapienter instruxit **L**ogica diuiditur in tres. in demōstratiuam. probabilem et sophisticam. **P**rimūz pertinet ad philosophos **S**cđm ad rethozes et dyalecticos. **T**ertiū ad sophistas **H**ac etiaz triplicē sciām habuisse videt̄ cū de ea scribit̄. p̄ varias cōclusiones filogifmoz allegozice atqꝫ metaphozice diserte et mystice multa cum cesare disputauit **S**cđo fuit ammirabilis in eloquētia **H**abuit ei eloquentiā facundissimā in predicādo sicut p̄z in suis p̄dicationib⁹. disertissimā in rationē reddendo sicut p̄z cū dicebat impatoꝝi **M**iraris hoc templū manu artificū fabricatū ē **S**uauissimā in attrahendo sicut in porphirio et regina q̄s eloquij sui suauitate attraxit **H**abuit ec̄ efficacissimā



eloquentiā in vincendo. sicut p̄tz  
in rethorib⁹ quos tā potenter vici-  
cit. Tertio fuit ammirabilis in cō-  
stantia Fuit enī cōstantissima in mi-  
nis illatis qz ipas contempnit. Unde  
imperatori sibi minanti respondit.  
Quecūq; tormēta potes cogitare  
ne differas. qz carnē et sanguinem  
meū p̄ xp̄o offerre desidero. Item  
Fac quecūq; animo contempnit. patā  
enī me videbis ad omnia sustinēda.  
Secūdo fuit cōstantissima in donis ob-  
latis qz ea respuit. Un̄ cū impator  
sibi p̄mitteret qd eā in palatio secū  
dā haberet respōdit. Desine talia  
dicere que scelus sūt etiā cogitare.  
qz ea superauit sicut patet cum fuit  
posita in carcere et super rotam  
Quarto fuit cōstantissima in mundi-  
cia castitatis. Seruauit enī castita-  
tē inter ea inter que castitas pericli-  
tari solet. Quiq; enī sūt in quib⁹ ca-  
stitas piclitas. i. affluentia resoluēs  
oportunitas inducēs. iuuent⁹ lasci-  
uiens. libertas effrenās et pulcritu-  
do alliciēs. Inter hec beata kathe-  
rina castitatē seruauit. habuit maxi-  
mā affluentia rezeptote que tā di-  
tissimis parentib⁹ successit. habuit  
oportunitatem vtpote que sui dñā  
tota die inter suos famulos versa-  
bañ. habuit itez etatē iuuenilez. ite-  
rū sui libertatē. qz sola et libera in  
palacio remansit. De his quatuor  
dicit supra katherina cū esset āno-  
rum. xvij. in palatio diuichs et pue-  
ris pleno sola remāsit. habuit etiā  
pulcritudinē. Un̄ dicit qd erat spe-  
ciosa valde et incredibili pulcritudi-  
ne oīm oculis ammirabilis videbāt

**¶** Quinto fuit ammirabilis in priuile-  
gio dignitatis. Quodā enī priuile-  
gio specialia fuerūt in aliquib⁹ san-  
ctis dū decederent vt xp̄i visitatio  
quod fuit in Iohanne euangelista  
olei emanatio qd fuit in beato Ni-  
colao. lactis effusio qd fuit in bea-  
to paulo. sepulcri p̄paratio qd fuit  
in beato clemēte. petitionū exaudi-  
tio qd fuit in beata Margaretha  
qñ orauit pro agentibus sui memo-  
riaz. Hec omnia simul fuerūt in be-  
ata katherina sic p̄tz ex legenda.

### **¶ De sancto Saturnino**

**S**aturnin⁹ ab ap̄toꝝ discipu-  
lis ep̄us ordinat⁹ in vrbe  
tholosana direct⁹ est. Cum  
autē ip̄o ingrediente demones a re-  
spōsis cessarēt. vn⁹ gentilium dixit.  
qz nisi saturninū occiderēt a dñs su-  
is nil penit⁹ obtinerēt. Apprehē-  
tes igit⁹ saturninū nolentē sacrificia-  
re ad pedes thauri ligauerūt. eūq;  
cū famulis agitātes a summa arce  
per gradus capitoli p̄cipitauerūt.  
Sicq; cōfracto capite et cerebro ex-  
cusso martirium cōsummauit. cuius  
corpus due femine rapientes. in p̄-  
fundo loco p̄pter metum gentiliuz  
condiderūt. Quod postea succes-  
sores eius ad locum reuerentioꝝ  
translulerunt. Fuit alius saturnin⁹  
quez rome p̄fect⁹ diu in carcē ma-  
ceratū in eculeū leuari. neruis. fusti-  
bus. et scorpionibus cedi fecit. De  
inde lateribus adustis depositum  
de eculeo decollari p̄cepit. Fuit et  
ali⁹ saturnin⁹ apud affricam frater  
sancti satiri. Qui cū p̄dicto fratre